Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30297

Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

66

universale considerat. Ad hec si ratio contra respondeat. se quidem et quod sensibile et quod imaginabile sit in universitatis ratione conspicere. Illa vero ad universitatis cognitionem aspirare non posse. quoniam eorum notio corporales figuras non possit excedere. De rerum vero cognitione firmiori potius perfectiorique iudicio esse credendum. In huiusmodi igitur lite nos quibus tam ratiocinandi quam imaginandi etiam sentiendique vis inest nonne rationis potius causam probaremus? Simile est quod humana ratio divinam intelligentiam futura nisi ut ipsa cognoscit non putat intueri. Nam ita disseris. si qua certos ac necessarios habere non videantur eventus. ea certo eventura presciri nequeunt. Harum igitur rerum nulla est prescientia. Quam si etiam in his esse credamus. nichil erit quod non ex necessitate proveniat. Si igitur uti rationis participes sumus ita divine iudicium mentis habere possemus. Sicut imaginationem sensumque rationi cedere oportere iudicavimus. sic divine sese menti humanam submittere rationem iustissimum censeremus. Quare in illius summe intelligentie cacumen si possumus erigamur. Illic enim ratio videbit quod in se non potest intueri. Id autem est quonam modo etiam que certos exitus non habent certa tamen videat ac definita prenotio. neque id sit opinio. sed summe potius scientie nullis terminis inclusa

Te. Divine mentis. Sic iustum esset quod humana ratio que non putat deum aliter considerare. et ideo nullam putat eum de incertis futuris prescientiam habere potius divine menti se submitteret. et inferiorem in cognoscendo res iudicaret. Hanc similitudinem libri ordine ponit usque dum dicit. Quare et cetera. Que illatio est a causa sic. Quia humana ratio divine menti submitti debet. igitur quantum possumus ad divinam erigamur intelligentiam conscendam. et tunc ratio nostra quod per se considerare non potest videbit. scilicet quod deus de his que certos non habent exitus habet non opinionem sed certam prescientiam.